



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

X. Origenes legi naturae nimium tribuit:

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

merito relege laudamus : quamquam si discutatur quo sine fiant , vix inveniuntur , que iustitie debi- A
 tam laudem defensionemve mereantur . Capite deinde sequenti scribit non usque adeo terreno-
 rum affectuum labem animæ humanæ incubuisse , ut non impressa superint imaginis Dei
 vestigia , unde præcepta aliqua Legis in ipsa etiam impietate exequi vel sapere merito dici
 possit . Addit postea Legem Dei non penitus per peccatum è cordibus nostris erasam , re-
 novari per gratiam . Et postmodum : Nam & ipsi (Iudæi) homines erant , & vis illa natura in-
 erat eis , qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit & facit . Tum paulo post , ait parum pro-
 futurum in die iudicij his naturæ legibus partuisse , nisi forte ad mitiganda supplicia : Sicut
 enim non impediunt à vita æterna iustum quedam peccata venialia , sine quibus hæc vita non ducitur :
 sic ad salutem æternam nihil profunt impio aliqua bona opera , sine quibus difficillime vita cuiuslibet pes-
 simi hominis invenitur . Et iterum : Quid ergo hinc Apostolus efficere voluit , quod iactantiam colubens B
 Iudæorum , cum dixisset : Non auditores Legis iusti sunt apud Deum , sed factores Legis iustificabuntur ,
 continuo subiicit de his qui Legem non habentes naturaliter quæ Legis sunt faciunt , si non illi sunt intel-
 ligendi qui pertinent ad gratiam mediatoris , sed illi potius , qui cum Deum verum vera pietate non colant ,
 habent tamen quedam opera bona in vita impia ? Quibus accinit Fulgentius in lib. De Incar-
 nat. & gratia Christi , cap. 26 . Quod si quibusdam cognoscuntibus Deum , nec sicut Deum glorifican-
 tibus , cognitio illa nihil profuit ad salutem ; quomodo potuerunt hi iusti esse apud Deum , qui sic in suis
 moribus atque operibus bonitatis aliquid servant , ut hoc ad finem Christiane fidei , charitatisque non re-
 ferant ? quibus aliqua quidem bona , que ad societatis humane pertinent æquitate , inesse possunt ; sed
 quia non charitate Dei sunt , prodesse non possunt . Hieronymus quoque in Isaia 24 . 5 . scribit
 præmia adepturos , quicumque Legem naturalem observaverint : & in Ezech. 29 . 17 . ait C
 condemnari nos comparatione Gentilium , si illi lege ficiant naturali , que nos scripta negligimus . Præ-
 termitti vero non decet locum ipsius alterum in Gal. 3 . 2 . ad hoc spectans argumentum ,
 & circumspecte attingendum . Nos respondebimus , inquit , accepisse quidem eum (Cornelium
 centurionem) spiritum , sed ex auditu fidei , & naturali lege , que loquitur in cordibus nostris , bona
 quæque faciendâ & vitanda mala , per quam dudum quoque Abraham , Moyses & ceteros sanctos ju-
 stificatos retulimus : quam augere deinceps potest operum observatio , Legis quoque iustitia , non tamen
 carnalis legis qua præterijt , sed spiritualis , quia Lex spiritualis est .

X. Quæ quum ita sint , fatendum est tamen nimio plus aliquando tribuisse Origenem
 legi naturæ ; & quæ peculiari Dei auxilio debebantur , in generale auxilium transcripsisse :
 quod omnino Pelagianum est : velut actus singulos voluntatis , quos volitiones appellant : D
 hos enim ita nos habere à Deo censebat , quatenus virtutem volendi sive facultatem vol-
 untatis à Deo habemus . Ita exponit illud Pauli , Philipp. 2 . 13 . Deus est enim qui operatur in
 vobis & velle , & perficere , pro bona voluntate . cum ex hoc enim loco concluderent nonnulli
 libero nos carere arbitrio , siquidem ex Deo penderent voluntatis nostræ motus , sic re-

Orig. Philo-
 cal. 1. 20.

spondet Origenes : καὶ ὁ θεὸς τὸ πρὸς τὸ θεῖον ὅτι ἡ τὴν ἀποδοῦναι λέγειν ἢ φησὶ τὸ θελεῖν τὰ κατὰ ἐμὴν ἐν τῷ
 θεῷ ἔχει ὁμοίως τὸ ἐπιτελεῖν τὰ κρείττονα καὶ τὰ χεῖρονα . ἀλλὰ τὸ κερδοῦναι θελεῖν , & τὸ κερδοῦναι ἔργον .
 αἷς ὁ δὲ θεὸς ἐργαζομένου τοῦ ἔργου , καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ ποιεῖν ἢ τὸ κερδοῦναι θελεῖν , αἷς εἰς ἐργον , καὶ τὸ κερ-
 δοῦναι κινεῖται ὡσαύτῃ ἐργαζομένου τοῦ ἔργου ἔργον , τὸ κινεῖται , καὶ φησὶ ἐπιτελεῖν τὰ δὲ τὰ μέλη κινεῖται , καὶ πρὸς
 αὐτὸν ἀλλοτρίως κινεῖται ὡσαύτῃ τὸ θεῖον τὸ ἐκείνου τὸ θεῖον , καὶ τὸ κινεῖται ὡσαύτῃ ἢ ἀπαρτί-
 σθαι τὰ ἀλλοτρίως ἀλλὰ τὸ μὴ ἴσχυον τὸ κινεῖται ἐλαττωμένῃ δὲ τῷ θεῷ ἡμῶν δὲ χεῖρονα τῶν κινεῖται ἐπὶ
 τὰ χεῖρονα , ἢ δὲ τὰ ἔργονα . ἢ τὸ μὴ ἐπιτελεῖν ἢ τὸ ἐργον ἐκείνου , εἰληφα μὲν δὲ τὸ θεῖον , καὶ τὸ θελεῖν ἐλα-
 ττωμένῃ δὲ τῷ θεῷ ἡμῶν ἢ τὸ θελεῖν ἐπὶ τὰ χεῖρονα , ἢ ἐκαστὰ χεῖρονα ὁμοίως ἢ τὸ ἐπιτελεῖν
 Quorum sententiam satis fideliter præter morem suum retulit Rufinus ; quia scilicet Pela-
 giana erant . Notavit autem illa S. Thomas libr. 3 . contra Gentes , cap. 89 . & variis Scri-
 pturæ locis obtulit . Notavit & Iansenius , & tamquam gratiæ Christi contraria merito re-
 pudiauit . Quem vero in calce decimi tertij capitis , libr. 6 . Tom. 1 . recitat locum , qui in
 fine capitis 1 . libr. 3 . ἀπὸ ἀρχῶν reperitur , de sua Pelagianismi officina largitus est Rufinus ;
 in Græco siquidem exemplari non comparat .

Observe interim Lector æquus , ecquid fidei possimus adungere tot locis qui è libris à
 Rufino Latine redditis adversus Origenem iactari solent : cuiusmodi iactari solent : F
 quem libro 6 . Tom. 1 . cap. 13 . adducit Iansenius è libr. 3 . ἀπὸ ἀρχῶν , cap. 2 . ut plus æquo
 legem naturæ Origenem extulisse probet : Non enim idem est habere vincendi virtutem , & vin-
 cere , sicut ipse Apostolus cautissimo sermone signavit , dicens quia dabit Deus exitum ut sustinere possi-
 tis , non ut sustineatis . Multi enim sustinent , sed in tentatione vincuntur . A Deo datur , non ut sus-
 tineamus , alioqui nullum iam videretur esse certamen , sed ut sustinere possimus . Ea autem virtute ,
 que nobis data est ut vincere possimus , secundum liberi arbitrij facultatem , aut industrie nitimur , &
 vincimus , aut segeniter , & superamur , &c . & iste è libro 10 . in Epist. ad Rom. Gratia Dei , &
 gratia Domini nostri Iesu Christi , una atque eadem gratia accipienda est . Sicut enim Pater quos vult
 vivificat ; & Filius quos vult , vivificat : & sicut Pater habet vitam in se , & Filio dedit habere in se-
 metipso vitam ; ita & gratiam quam dat Pater , hæc & Filius dat . Sciendum sane est quod omne

A quod habent homines à Deo, gratia est; nihil enim ex debito habent. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Gratia ergo est quicquid habet is qui non fuit, & est accipiens ab eo qui semper fuit: atque ille è libr. 4. in Epist. ad Rom. Sed ego cum considero sermonis eminentiam, quo dicit operanti secundum debitum reddi, vix mihi suadeo quod possit ullum opus esse, quod ex debito remunerationem Dei deprecatur, cum etiam hoc ipsum quod agere aliquid possumus, vel cogitare, vel proloqui, ipsius dono & largitione faciamus. Quod ergo erit debitum illius, cuius gratia nos precessit? & hic è libr. 5. in eadem Epistolam: Quod ergo dixi post dies, hoc ostendit, quia primis quidem vitæ suæ diebus paterne pravaricationis institutionibus tenebatur (Abel:) post illos vero dies ubi respicit, ubi respexit ad Deum, natura lege commonitus, dicitur tunc obtulisse hostiam Deo.

XI. Postquam de lege naturæ male sensisse Origenem demonstravit Iansenius, non solum ^{Ianf. Tom. 1. lib. 6. c. 14.} niora opinatum fuisse de lege Moysis conatur ostendere: cui comprobando affert illud è

B libr. 4. in Epist. ad Rom. Initium namque justificari à Deo, fides est qua credit in justificantem. Et hæc fides cum justificata fuerit, tamquam radix imbre suscepto baret in anima solo, ut cum per legem Dei excelsi cæperit, surgant in ea rami, qui fructus operum ferant. Subjungit Iansenius: Ecce dogma Pelagij de operanda per Legem justitia, dummodo remissio peccatorum per fidem data præcesserit. At non hæc ad Legem Moysis peculiariter pertinent, sed ad opera tantum bona sive Iudæorum, sive Ethnicorum, quæ sine fide inania sunt. Ait ergo initium justificationis fidem esse quæ credit in Deum; quæ fides, quasi dispositio ad justificationem acquirendam, cum iustitiam apprehenderit, ut loquuntur, atque ita justificata fuerit à Deo; cumque iustitiæ imbre, sic tamquam radix aliqua, perluta fuerit, tunc ipsa fides atque ipsa iustitia animæ

C solo inhærent; sic tamen ut divinæ legis observatione fovæ illam & excelsi necesse sit ad ferendos operum fructus, qui velut radicis huius furculi efflorescant. Quæ fidei Catholicæ decretis usqueaque consonant, si modo prævium gratiæ excitantis & juvenis subsidium agnoscat. Verum non id queritur Iansenius: at latere hic caussatur dogma Pelagij de operanda per Legem justitia, dummodo remissio peccatorum per fidem data præcesserit.

Debere quidem à fide justificationem ducere exordium; eandemque peccata delere, & hic dixisse fatemur Origenem, & recte dixisse pertendimus: nec in eo opinor Pelagianum illud placitum Iansenius positum esse voluit, sed in dogmate de operanda per Legem justitia, quod Pelagianum esse agnoscimus, sed ab hoc Origenis loco longe procul abesse pugnamus. Quomodo enim operandam sensit per Legem iustitiam, qui justificationem

D Legis observationi prævertere debere dixit? Per legem Dei, hoc est bona opera, iustitiam quidem excolendam sanxit, nequiquam vero per Legem iustitiam comparari credidit.

Hæc licet perspicua, aliis tamen Origenis ejusdem testimonii firmari possunt. Ex quibus ^{Orig. lib. 4. in Epist. ad Rom.} omnibus, inquit, claret quod recte arbitratur Apostolus justificari hominem per fidem sine operibus Legis. Sed fortassis hæc aliquis audiens resolvatur, & bene agendi negligentiam capiat, siquidem ad iustificandam fidem sola sufficiat. Ad quem dicemus quia post justificationem si injuste quis agat, sine dubio iustificationis gratiam speravit. Non opera ipsi iustitiæ, sed iustitiam operibus præposuit. Clarius etiam quod jacet paulo inferius: Ubi vero fides non est qua credentem iustificet, etiam si opera quis habeat ex Lege, tamen quia non sunt adificata supra fundamentum fidei, quancvis videantur esse bona opera, operatorem suum iustificare non possunt, si eis deest fides, quæ est signaculum eorum qui iustificantur à Deo: & quod libro sequente: Propterea ergo & in alio loco Scriptura dicitur de Abraham, quod ex operibus fidei iustificatus sit; quia certum est eum qui vere credit, opus fidei & iustitiæ operari, & tantius bonitatis. Caute vero ista legenda sunt, quæ differit in 1. Rom. 3. 30. Quod si requirat aliquis curiosius, ij qui ex fide iustificantur, per quem iustificantur; & rursum ij qui per fidem iustificantur, in quo iustificentur: licet fortassis multa in hoc curiositas videatur, tamen convenienter dicere possumus quod qui ex fide iustificantur, initio ex fide sumo, per adimpletionem bonorum operam consummantur; & qui per fidem iustificantur, à bonis operibus exorsi per fidem summam perfectionem accipiunt.

Quæ tamen ferri poterunt, si ita intelligantur, justificationi præire quidem posse opera bona, sed non ejusmodi, quæ ad hæc apprehendendam conferant quicquam; qualia sunt opera illa quæ lege naturali suadente perficiuntur.

F Pergit ostendere Iansenius parum sana fuisse Origenis de lege Moysis placita, ut qui ^{Ianf. Tom. 1. lib. 6. c. 14. Rom. 5. 20.} per eam peccatum fuisse imminutum ac restrictum crediderit, contra hoc Apostoli pronuntiatum: Lex autem subintravit, ut abundaret delictum: atque hæc placita Pelagij & Iuliani doctrinæ scribit esse consentanea, in iisque fuisse ab Augustino profligata & confossa. Non ego sane usque adeo Otigenis causæ faveo, ut naturalis legis vires præter æquum prædicatas ab eo fuisse negem; ac illas itidem Moisaicæ Legis, quas ita extulit, ac si non peccatum duntaxat prohibuerit ea Lex, sed gratiam etiam hominibus ad vincendum illud contulerit; ac si per illam non cognitio solum peccati, sed etiam sanatio contigerit; ac si non ad priora peccatorum genera, quæ præcesserant Legem, pravaricatio præterea accesserit, quæ pravaricatio nisi lege lata esse non potest; ac si non nitentibus in veritum hominibus, concupiscentia Lege frænata creverit; ac si non apparere tantum cæperit, & deputari